



Prot.N.2121/45

SACRA CONGREGATIO  
DE RELIGIOSIS

DECRETUM

Congregatio v. "Padri Rogazionisti del Cuore di Gesù" nuncupata, ortum habuit Messanae, initio huius saeculi, opera Canonici Hannibalis Di Francia, qui fuit sacerdos pietate, amore in Beatissimam Virginem et studio caritatis erga iuvenes et pauperes flagrans, eorum praesertim sollicitus qui magis periculo peccandi exponuntur.

Ut sanctum propositum in rem deduceret, iuvenes vocatione donatos coadunare et educare coepit, quorum cooperatione adiutus, nonnullis caritatis operibus sese dicavit, atque novae familiae religiosae fundamenta iecit eum peculiarem in finem ut sodales saluti puerorum pauperumque incumbant et potissimum mandati Divini Salvatoris: "Rogate ergo Dominum messis ut mittat operarios in messem suam" adimplenti sese devoveant.

Anno etenim 1924, primos sacerdotes habuit aliosque filios spiritualis ita ut, iisdem adjuvantibus, duas domos religiosas aperiret: juvenibus instituendis et pauperibus evangelizandis atque succurrendis, quarum una in Dioecesi Messanen., altera in dioecesi Uritan.

Anno 1926 Ordinarius Messanensis Congregationem iudice recognovit et canonice erexit per decretum diei 6 Augusti et Constitutiones revisit.

Post pium transitum Fundatoris a. 1927, Congregatio variis domibus ditata est in multis dioecesibus Italiae et Americae Meridionalis. Nonnullis rerum discriminibus feliciter superatis, cum Congregatio congruis et firmis fundamentis solidata existimaretur, Superior Generalis cum suo Consilio, litteris testimonialibus Ordinariorum locorum suffragantibus, supplices preces ad S. Sedem porrexit, ut praedicta Congregatio decreto laudis decoraretur.

Haec itaque Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, vigore specialium facultatum a SS. mo Domino Nostro PIO Div. Prov. PP. XII concessarum, attentis litteris testimonialibus Ordinariorum de quibus supra, audito voto Commissionis pro Institutionibus approbandis, reque diligenter et mature in Congressu Plenario diei 15 Februarii 1958 discussa, Congregationem v. "PADRI ROGAZIONISTI DEL CUORE DI GESU" praesenti Decreto amplissimis verbis laudat, atque commendat, eiusdemque Constitutiones, lingua italica exaratas, uti continentur in textu, cuius exemplar in tabulario huius S. Dicasterii asservatur, approbat et confirmat ad septennium, experimenti causa, salva de cetero Ordinariorum locorum iurisdictione ad normam juris.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis de Religiosis, die, mense et anno de quibus supra.

Valerius Card. Valeri  
Praefectus

P. A. Lanam